

Exuperium, Synodi Romanæ sub Gelasio; & deinceps apud omnes probatur, uti Casiodorum, Rabanum Maurum, S. Isidorum Hispalensem, & in decreto Unionis sub Eugenio IV. ac tandem in Concilio Tridentino Sess. 4.

Epist. ad Chromat. & Heliod.

Grot. Prefat. in Tob. Sixt. Senens. Biblioth. lib. 8.

Quod ad Judæos spectat, hæc de illis refert S. Hieronymus (p): Quem Hebraei de Catalogo Divinarum Scripturarum secantes, his qua Hagiographa memorant, manciparunt. Lectum ab illis Tobiam Hebraicè, id est Chaldaicè, Origenem in Epist. ad Africanum tradidisse, supra retulimus. Summè tandem Opus illud à Judæis observatum & tanquam veram historiam habitum dubitaverit nemo (q). Nec sanè

nisi veræ historia colorem exhibet sive narrationis contextus, sive digerendæ illius ratio; si enim tota rejiciendi alicujus Operis causa habendum esset mirum aliquid & prodigiosum factum, quod in historia occurreret; quis, rogo, Sacer Liber admitteret? Plura sunt, fateor, in Libro Tobia ardua; sed in quo non? Singula nos in decursu Commentarii explicare pro viribus studuimus. Postquam nomina propria personarum, locorum, temporum ratio, atque sexcenta alia veram historiam produunt, frustra quis invidiam in illam creavit; nec citra infamiae in Scripturam irrogatam notam, non veram historiam, sed fabellam prodi assereretur.

DISSERTATIO IN DÆMONEM ASMODÆUM.

CUM sæpè aded in Scriptura de bonis malisque Angelis, eorumque per visum objectâ specie, gestis prodigiisque mentio recurrat, mirari subit cur rarus admodum in illâ sermo habeatur de dotibus, viribus, gloriâ, agendi potestate, sicut & ratione qua Spiritus illi, nobilissimum Dei producentis opus, sese cæteris communicant. Quidquid autem eâ de re in Sacris Libris occurrit, ad tria potissimum capita revocandum est: Dari nimirum bonos malosque Spiritus: Illos qua semel in creatione donati sunt gratiâ retentâ, Creatori pariter suo morigeros se præbentes destinatâ sibi gloriâ frui: Hos verò typho superbia inflatos è loco suo excidisse, & in tartara detrusos acerbissimas ambitionis suæ poenas dare; furorem quin etiam suum in miseros mortales exercere, nullamque omittere artem, quò nos eodem unâ supplicio obvolvant. Tandem bonos Angelos beneficiis & gratiis Divinis ad nos deferendis ministrare esse destinatos; sicut & Dæmones Divinæ se ultionis & justitiæ exequutores impendere. Inter Dæmones verò & Angelos eam constitui politiam, cujus tamen leges ignorantur, qua alter alteri subdatur; agere pariter utroque in corpora & in spiritus subtiliori quadam ratione, quam ne mente quidem assequi, nedum verbis effari valeamus: Singulis Regnis, quin & singulis hominibus suos esse Angelos Præsides, qui nostris rebus & conservationi advigilant; illud potissimum adnitentes, ut salutem nobis procurent, modò ne quid obstaculi Divinis à se delatis gratiis per nos, per vicaciùs malo inhærentes, ponatur.

Sed in iis etiam quæ Deo revelante nominis, quot sanè obscura, quot tenebris obfusa? Angeli & Dæmones nunquam ferè nisi corpore aliquo constantes exhiben-

tur. Quæ insuper de illis narrantur historiæ, parabolæ verius quam genuinæ historiæ saporem plerumque habere videntur. Si quis enim historiam pellectæ ad crimen Evæ, sicut & alteram Angeli militantis necem asino Balaami; Dæmonis Asmodæi de quo in presentiarum: Dæmonis Jesum Christum in deserto tentantis; ac tandem Jobi tentatione probati; si quis, inquam, eas omnes historias sedulo perpendit, honne augeri potius scrupulos & dubitationes, quam depelli ignorantiam sentiet? Id egisse Deus videtur, ut angustioribus terminis humanæ curiositati præscriptis, ab eorum cognitione nos revocaret, quæ impunè prorsus ignorarentur, ut scilicet totam mentis intentionem rebus majoris momenti & nostræ utilitati magis conducentibus impenderemus.

Nec sanè multum in exploranda Angelorum naturâ Judæi olim ante captivitatem studii contulerunt. Nullum etiam ad eam usque etatem illis impendisse cultum sive legitimum, sive superstitiosum legitimus; quin ne nomina quidem illis tribuere norant. Quæ enim deinde collata sunt Angelis nomina, ipsi fatentibus de se Judæis, non Hebræi ipsi per se excogitarunt, sed è Chaldeen disciplina discentes, usurpata voluerunt nomina Michaelis; Gabrielis, & Raphaelis; sicut & ex eodem fonte septem Angeli Principes Throno Dei adstantes derivati sunt. Neque plus aliquid de malis Angelis norant; nomen enim Satan, quod alicubi occurrit, non nisi adversarium significat; & Beel-sebub pecularis Idoli nomen est. Apud Isaiam 14. 12. sermo de est de Lucifero; sed eo nomine matutinum sidus nuncupatum, nec nisi figuratâ quadam locutione ad Dæmonem translatum est. Primum omnium mali Angeli nomen Asmodæus occurrit; quamquam & dubitationis locus est, an peculiare aliquod Dæmonis nomen voce illâ designetur; potest

est enim Tobie locus 3. 8. reddi, Dæmon exterminator, cum in Vulgata habeatur: Dæmonium nomine Asmodæus occiderat eos. Fateamur tamen oportet, receptum in Vulgata sensum proniorem esse & maxime ad literam Textus, si Asmodæus pro singulari Dæmonis alicujus nomine usurpetur. Græcus legit: Asmodæus malus Dæmon: S. Prosper (a) Asmodæum nequissimum; Hebræus Munsteri: Asmodai Rex Dæmonum (b).

2. Prosper. de Promissis par. 2. cap. 39. A qua Asmodæum Dæmonium nequissimum exprimit. b Hebr. Munster. c In Niphil.

Inter varias nominis Asmodæus etymologias hæc jure meritoque feligenda est, quæ vocem derivat ex Scamad (c), destruere, exterminare, perdere, desolare; quæ sanè ejusdem vocis significationes omnes quadrant cum Dæmone id potissimum intendente, ut animas omnes perdat, virtutis & pietatis opera destruat, proba etiam consilia summoveat omnia, uno verbo in partem gloriæ & honoris ducente, si quos potuerit criminibus & sceleribus implicare, susceque omnem mundi œconomiam vertere. S. Joannes in Apoc. 9. 11. meminit Dæmonis, cui nomen in Hebræo Abdon, in Græco Apollon, in Latino Exterminans. Angelus iste exterminans ultionem Domini in Ægyptum intulisse, excusso decem plagarum flagello, creditur (d); eodemque gladium stringente animadversum ferunt in Israelitas, perduellionis & marmaris reos in deserto (e); quemadmodum & ejus gladio exercitum Sennacherib in Palestinis agris deletum (f). Equis alius persecutores Ecclesie in Fideles animavit; quis Hereticos & impios, ut pravis dogmatibus Fidei sanctitatem corrumpant, incitavit, & nunc etiam incitat?

d Exod. 8. 9. 10. 11. & Sap. 11.

e 1. Cor. 10. 10. & Judith. 8. 24. 25. Exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt.

f 4. Reg. 19. 35.

g Vide si placet 1. Cor. 15. 24. Cum evacuaverit omnem Principatum, & potestatem, & virtutem. Et Abb. Seren. apud Cassianum Col. lat. 8. cap. 14. & Serar. ad Tobiam 3. qu. 4. Origen. contra Cels. lib. 8.

h Matt. 9. 34. & 12. 24. Marc. 3. 22. Luc. 11. 15.

pellectam ad crimen Evam respiciantur, optimè quadrant. Eundem Dæmonum Principem S. Chryostomus appellat Sabael, ac si diceretur, qui terga Deo tamquam invisio vertit (i).

i S. Chryst. Hom. de lapsu primi hom.

S. Joannes in Apoc. 12. 9. pluribus illum fuggillat, uti Draconis magni, serpentis antiqui, Diaboli, Sabana, qui seducit universum orbem. Apud Job. 1. 6. & Matt. 4. 10. Sathan vocatur, quo nomine nihil aptius alto in illo odio adversus homines & veritatem exprimendo; sonat enim hostis, adversarius, calumniator; in quam etiam significationem convenit vox Græca Diabolos, quæ adversarium injustum, & sycophantam, calumnatorem exprimit. Depingitur 1. Petri 5. 8. veluti Leo rugiens undique pererrans, ut prædam aliquam, quam voret, nanciscatur. Tandem non semel Principi Dæmoniorum nomen tributum est Lucifer (k). Sunt qui credant, Asmodæum Principem esse Dæmonum Mediæ, quâ in regione suam exerceret potestatem; quemadmodum Dæmon ille apud Dan. 10. 13. Perfidi imperans S. Michaeli populi Dei patrono aliquantum restitit. Sanè nomen Asmodæus derivari potest ex Hebræo Eseh-Madai, ignis Mediæ, impuras enim flammæ fovet. Natus est ex Rabinorum doctrina ex connubio Noemæ fororis Tubalcain cum Simron: ipsissimus est Simron cum Sammael, de quo in Targum ad cap. 28. Job. Docent insuper Talmudistæ, Asmodæum super Dæmones universos principem locum tenere (l).

k Isai. 14. 12.

l Vide si lubet Serar. quæ 9. Eliam Levit. in Thibibi, Targum in Job. 28. & in Eccl. 1. 1.

Quæ tamen opinio præ cæteris probatur Asmodæum libidinis Dæmonem constituit; an verò Regem supra ceteros Dæmones agat, quod cum Hebræis affirmemus nihil est, cum in sacra Scriptura id muneris egisse legatur, quod facillè inferior quisque Dæmon obire potuisset. Namque permittit à Deo potestate, quicumque procaciores ad Sarè thalamum accederent, illos neci tradebat; nihil tamen habebat virium in honestissimam probamque puellam, atque invitum reluctansque, quin & rei exitum ignorans, in felicitatem illius, sicut & Tobie, etiam atque etiam conferebat. Nimirum ambo illi morum affinitate sese invicem repocebant; quos proinde alto providentiæ suo consilio respiciens Deus, neminem alterum ad puellæ thorum accedere permittit, quam inviolatam lectissimo conjugii reservabat.

Hujus necis causam omnem Raphael ipse juveni Tobia, Tob. 6. 17. aperuit: Ostdam tibi, qui sunt, quibus prævalere potest Dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum à se & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus; habet potestatem Dæmonium super eos. Nec Sara aliter suspicata est, Tob. 3. 19. Aut ego indigna fui illis, aut illi forsitan me non fuerunt digni. Ita planè; neque enim digni erant eo conjugio brutales viri; quamquam non ea sola fuit eorum necis ratio, nisi etiam procacioris libidinis crimen ultionem in ipsos Divinam provocasset.

M m Quod

m Tob. 6. 8. Cordis particula si super carbones ponas, extricat omne genus Demoniorum sive à viro sive à muliere. Alibi verò cordi jungitur jecur; quemadmodum etiam utrumque in Græco exprimitur. S. Profper nihil habet nisi de felle, memoria, uti credimus; lapsu par. 3. cap. 29. Promiss.

n Porphyrius de abstinentia lib. 2.

o Tob. 6. 19.

p Vide & in Math. 14. & in Helvidium

Quod in hac re negotium facessere videtur, illud est, nimirum Dæmonem Asmodæum è fumo de jecore, & corde piscis prunis impositis sublato depulsum fuisse (m). Quomodo enim sive fumus, sive nidus, sive aliud quodcumque corporeum, & è corpore expressum gravius esse Spiritibus poterat? Quamquam enim procedentes à corpore impressiones, si forte insensus impingant, statim horroris voluptativæ sensum in anima excitant; quo sanè horrore, & voluptate etiam spiritus à materia secretos tangi posse intelligimus; nunquam tamen re ipsa tangi persuademur; si omne abfuerit Divinum prodigium, quo Deus supremus rerum omnium arbiter potentia sua jubeat, occasione quarundam corporearum impressionum, quæ in corpora, ab illis Spiritibus planè secreta, fierent, similes motus in Spiritibus responderent. Ita in torquendis apud Inferos Dæmonibus & impiorum animabus servatum intelligimus; ut scilicet occasione ignis, ubi illi medii versantur, sensus quidam doloris, Deo ita volente, in ipsis excitetur; quemadmodum solet, eum spiritus, vitali cum corpore junctas fœdere, ejus dolore tangitur. In hunc planè modum Dæmones, & impiorum animas materiali igne in Inferno torqueri creduntur; non enim vorax illud elementum cremandis animabus impenditur; sed eo posito, Dei omnia potentis voluntate tam intimo doloris sensu anima tangitur, veluti si corpore induta igne torrescentibus membris angetur.

Faciliori negotio ab ea se difficultate extricabant Pagani, quorum solemnitas erat sententia, Dæmones subtili ac tenui quodam corpore, veluti è puriori æthere consistere; rati insuper liquoribus illos, qui sibi libarentur, pisci (n); sicut etiam nidore carni, quæ in victimas cremabantur; ac tandem fumo illos thuris & aromatum, & cruore victimarum nutrir. Verùm, ait Porphyrius, vir sapiens ab hisce sacrificiis plurimum cavebit, metu ne forte Dæmones, omnis mali authores, ad se alliciat. Una huic cura sedebat, ut animam ab omni macula eluat; neque enim in animam omnis corruptionis expertem nequissimi illi Cacodæmones aliquid possunt. Eadem planè sensisse credimus Chalidæos, apud quos Liber Tobie scriptis mandatus est; sicut & Israelitas, pro quibus scribendum Author hunc Librum suscepit; ambo enim populi Dæmones à materia non omnino secretos arbitrati, sensus illis, & impressiones, quales non nisi corpora paterentur, aptabant. Horum proinde opinioni, & populi præjudicis sese accommodans Tobias, Raphaelem alloquens (o) dicebat, Dæmonem Asmodæum Saram depetere, i. e. tam cautè blandam elegantemque puellam custodire, ut neminem ad illam accedere permetteret. Hic sanè, si alias unquam, valet illud S. Hieronymi in Jerem. cap. 28. Multa in Scripturis Sanctis dicuntur juxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, & non juxta quod rei veritas continebat (p). Neque errorem illum veteres Ecclesiæ Patres prorsus deposuif-

se constat, cum Dæmones subtili corpore consistere, ut delicatis odoribus cæteri sicut tenuioribus sensuum functionibus aptum esset, arbitrarentur. Origenes tamquam extra controversiam positum constituit, Dæmones liquoribus & assarum carnium sapore delectari (q); interdum assumptâ Sanctissimorum Virorum atque bonorum Angelorum personâ simplicioribus illudere, impuris cupiditatibus & sono musicorum instrumentorum tangi (*), locoque pelliculi tam carminum quam herbarum ac imungularum occultâ vi, quæ medendis morbis, ab illis causatis, pharmacum sunt præstantissimum. Hæc sanè omnia tum veritate tum autoritate & numero eorum, quorum suffragio fulciuntur, probatissima sunt (r); & quamquam alia Ecclesiæ fœdisse sententia videatur, non desunt tamen nostrâ quoque ætate Viri eruditi, genus quoddam corporis Angelis omnibus sive bonis sive malis tribuentes. Non se continet Grotius in Psal. 103. quin de fautoribus Aristotelis amarius conqueratur, quem Philosophum ille primum autorem rerum omnis corporis expertium arbitratur. Si igitur hæc constituatur, nihil planè nos movebit, dum Angelis & Dæmonibus sive corporea forma, sive potus & cibi usus, sive causandorum atque depellendorum morborum efficacitas tribuatur: est enim naturæ maximè consentaneum, ut corpus in sensus & corpora agat.

Quomodo ab hac se expediant sententia quicumque nidorem assati cordis, & jecoris Dæmonem vi suâ expulisse autमारुन्त, non facile conceperim (s). Quantum enim viri illi philosophico acuminè connitantur, nunquam tamen evincunt, eam, quam constituunt, inter Asmodæum & nidorem istum antipathiam id efficere potuisse, ut Spiritus fumo depelleretur. Cum enim antipathia omnis qualitatum inter se oppositione & repugnantia inducatur, nulla planè erit inter spiritus & corpus, quos inter nulla ratio communis est, antipathia; alioqui etenim non unus vel alter spiritus simultatem exerceret in corpora, sed omnes planè spiritus æquè corpora horrerent; æquè enim omnes ingenium habent à corpore abhorrens.

Si quis verò totam hujus nidoris efficacitatem constituere voluerit in sensu, quo non Spiritus quidem, sed junctum Spiritui corpus afficitur; cum nimirum subitâ humorum & sanguinis agitatione, præva in corpore affectiones, quibus Dæmon affligendo corpore utitur, corriguntur; si quis, inquam, eam sententiam maluerit, ille sanè opinionis suæ nec religiosissimos Theologos, nec delicatissimos exactissimosque Philosophos refragatores habebit. Profectò si tetro melancholici morbo correptus Saul angebatur, poterat sanè David insanientem humorem leni plectro compescere, atque intestino eorumdem humorum bello sublato, instrumenta nocendi Diabolo subduxisse; ex quo illud consequebatur, ut musicis cantilenis depelli Dæmonem redissimè diceretur. Paria de radicibus apud Josephum Antiqui lib. 8. cap. 2.

q Origen. contra Cels. lib. 3. pag. 28. & pag. 33. * Idem lib. 8. pag. 417. & 418. Edit. Cantabrig.

r Vide Huet. Origenian. l. 2. cap. 2. quas. 5.

s Bart. Fajus in Energum. no. 5. & P. G. Tholosan. Synagm. juris l. 24. cap. 22.

t Vide Serar. in Tob. 8. q. 8. art. 2. 3. 4. & c.

u De Civit. l. 2. c. 22.

cap. 2. & de Bello lib. 7. cap. 13. philosopharemur; illis enim vix manibus oblati Dæmon, uti quidem ferebatur, è corpore hominum abibat, quo præsentissimo in Dæmoniacos pharmaco usos fuisse Judæos instructore Salomone narrabant. Similem depellendi arcendive Dæmones vim habuisse radices plurimas, herbas, plantas, petras, & alia legimus (t), quibus omnibus illud S. Augustini de fumo, quo pelliculi Dæmones creduntur, optimè quadrat: Non quia nidore ac fumo, sicut nonnulli vani opinantur, sed hominum pascuntur erroribus (u). Non equidem fumo, herbis sive lapidibus Dæmones pelluntur vel alliciuntur, sed vanâ hominum, qui eo tenentur errore, superstitione; illis enim in pravis hisce opinionibus detinendis alliciendisque solent interdum Dæmones eorum votis obsecundare; ut quantum detrimenti ex eo quod pelluntur, accipiunt, tantum sibi lucri ex superstitione & errore, quem foverunt, comparent.

Quod autem ad verba quædam & notas magicas, sicut etiam genus quoddam plantarum spectat, aliter planè nobis philosophandum est. Solent enim Dæmones ultro sibi legem imponere, ut nihil sibi nisi ad nutum clientulorum agendum permittant: in eo siquidem imperii sui impii sævique rationem constituent, ut nocentibus ad nocendum serviant; illud maxillum lucrum suum rati, si hominibus famulatum exhibentes, illos sibi etiam atque etiam devoveant. Sed hæc omnia nihil planè in rem præsentem faciunt; certò enim constat, nihil in historia Tobie & Dæmonis magicæ superstitionis interessisse.

Inter duas hæc opinioniones, illam nempe quæ naturali virtute, & illam quæ Divinâ pulsum Dæmonem constituunt, mediam sibi viam tenendam Serarius in Tob. 8. q. 31. arbitratur. Observat ille rem aliquam fieri potuisse, sive boni sive tantum pravi Angeli operatione, sive solo nutu & imperio Dei, nullo Angeli vel alterius cujuscumque naturalis agentis ministerio utentis; vel tandem huic præstando posse Deum Angelum sive Dæmonem mittere, qui Divinis jussionibus implendis instrumento aliquo naturali uteretur; uteretur autem sive necessitate quadam coacti, sive spontè, vel instrumentum illud rei producendæ naturâ aptum sit vel ineptum. His autem constitutis, opinatur Serarius, fumum jecoris vi quadam naturali pellendo Dæmoni aptum fuisse; cujus rei argumentum esse dicit Angeli cum Tobie colloquium, qui humano loquendi more instam jecori piscis virtutem pellendi Dæmonem narravit [x]. Nec aliter quam quomodo dictum hominis accipi solet, junior Tobias Raphaelis, quem merum hominem arbitratur, dictum suscepit; nec aliter volebat idem Tobias, cum de virtute ejusdem jecoris Angelum interrogaret (y): ad cuius proinde mentem eundem Angelum respondisse par est. Censet igitur idem Author, Deum, cum mundum crearet, plantis quibusdam virtutem coercendi Dæmonem, cujus jam inde perceptam in

Differt. Calmet. Tom. I.

homines nequitiam habebat, indidisse. Aliquid tamen supra naturam in eodem fumo agnoscat, ex eo scilicet quod Angelus inter loquendum Tobie revelavit, pulsum semel Dæmonem jecoris fumo nunquam deinceps reverti, quod sane prodigiosum est & profus supra pharmaci naturam. Hujus prodigii in causa fuisse censet tum junioris Tobie continentiam, & precandi studium, cum pius duorum conjugum in conjugio ineundo consilium; ac tandem Angeli Raphaelis præsentiam non modicè in eam rem contulisse sibi persuadet.

Totam hanc historiam ad parabolam & Rhetorum allegoriam Grotius redegeisse videtur (z); neque enim Dæmonem sive prodigium aliquod in liberatione Saræ agnoscat. Quem Scriptura Asmodæum, septem priores Saræ viros occidentem, nominat, nihil est Grotio, præter noxia quædam in corpore ejusdem feminae qualitas, qua viri illi correpti interimerentur. Solemne est enim Hebræis, ut morbi omnes & incommoda, quorum latuerint causæ, Diabolo deputent; ut suos esse furdatis Dæmones, suos silentii, quibus homines & muti & surdi redderentur, crediderint [a]. Epileptici, & ignotis aliis morbis pharmacis omnibus contumacibus laborantes, Dæmonibus, ut illi quidem autumabant, torquentibus angebantur. Ejus opinionis dogmata in Evangelio habemus perspecta. Eo igitur morbo Sara laborabat, cui à se depellendo plurimum contulit tum ejusdem Tobie continentia, tum fumus, quo conclave universum, quo læsus, quo cætera omnia purgantur. Ita Grotius nodum indissolubilem præcidit, & unico calami tractu probatissimam, & omnium tam Judæorum, quam Christianorum assensu probatam historiam evertit; probatam, inquam, totius Ecclesiæ Christianæ consensu, neque enim alicujus esse momenti reputanda est quorundam recentiorum Interpretum singularis opinio, qui nullo satis firmo ductu argumento, de illius veritate dubitarunt.

Quicumque divinâ virtute pulsum Asmodæum judicant, illi sanè inter se minime conveniunt. Sunt enim, qui censent (b) fumum illum non nisi symbolum quoddam fuisse precum Tobie & Saræ, quibus unicè totum valetudinis prodigium tribuendum; quemadmodum olim in luto, quo cæci oculos linivit Jesus, accidisse legitur; vix enim lotis in piscina Siloe ejus viri luminibus, statim videndi facultas restituta est, non luti sive aquarum, sed ipsius Jesu virtute. Ex eo erat Dæmonum genere Asmodæus, qui continentia & oratione pelluntur, quemadmodum Dæmones, de quibus in Evangelio, non nisi prece & jejuniis ejiciebantur. Malunt alii (c), Raphaelem unum Asmodæum depulisse, qui ne prodigium sentiretur, jecur adhiberit; ejus enim obtentu Angelus latere Tobiam voluit, ne quis esset (larere enim Deus Angelum volebat quoadusque Tobias regrederetur) viro proderet. S. Prosper omnia ad Jesum Christum piscem mysticum (d) Dæmones expellentem, & nos à morbis

M m 2

z Ad Tob. 3. 8. & 6. 8.

a Luc. 11. 14. Matt. 9. 31. Grot. ad. Mat. 4. 24.

b Lyan. ad cap. 6. Mursi. ad Tob. 8. 3. Trin. ad 6. 8. c Vales. Philof. Sac. cap. 38. Est. ad Tob. 8. 2. Vide si lubet Guilel. Paris. De Universo, Caribus. ad Tob. 8. Serar. ibid. q. 2. d Prosp. de promiss. p. r. cap. 39. Ichthys Græcè est piscis, & etiam monogramma Jesu Christi; nec infrequenter Jesus pisci apud Veteres comparatur. Vide Tertull. de Bapt. Hieron. ad Bonof. Operatum lib. 8. Aug. de Civit. l. 18.